



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Illvstrivm Scriptorvm Religionis Societatis Iesv Catalogvs

Ribadeneyra, Pedro de

Antverpiæ, M. DC. VIII.

F.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68452](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68452)

F.

FERDINANDVS IAEN, natione Hispanus, Compluti cùm vir iam tum esset, & professione Theologus, ad Societatem nostram animum conuertit, in eamq; admissus est: deinde Romam profectus in caelestem patriam commigravit, anno (ni fallor) salutis M. D. LXX. Scripsit,

Questionem quotlibeticam de concordia Genealogie CHRISTI Domini secundum Matthaeum & Lucam.

FEDERICVS BARTSCIVS, natione Prutenus, patria Braunsbergensis, Romæ cùm esset, in ipso ætatis flore, anno salutis M. D. LXXII. diuortium fecit cum seculo, & CHRISTVM crucifixum & nudum nudus ipse nostra in Societate secutus est. Vir autem factus propter eximias virtutes, excellentemque doctrinam, Regi Sigismundo atque Polonia primatibus carissimus fuit; imò ipsis etiam hæreticis gratus & admirandus, quos vitæ integritate ac morum affabilitate sibi deuinxit, vt faciliùs ad CHRISTVM adduceret. Aliquot in Polonia Collegia diu ac laudabiliter gubernauit. Vice-prouincialis etiam Præpositus Lituaniæ fuit. Edidit sub nomine *Federici Brussii Theologi Responsonem beneuolam & Christianam, que refutat Orationem Andree Volani*, Lituanos à lecta Zwingliana ad fidem Catholicam conuersos, ad pristinos errores reuocare conantis. Scripsit etiam Germanicè libellum, cui titulus est:

Speculum Iesuitarum contra Danielem Cramerum, Lutheranum Pseudo-ministrum.

D 4

Nuper

Nuper etiam Cracouia apud Polonos dedit,
*In Euangelia Aduentus sequentesq; Dominicas ad
 Quadragesimas Commentationes* potissimum aduer-
 sus hæreticos.

FERDINANDVS GVERRERO, natione Lusitanus,
 patria Almodouuarensis, scripsit sua lingua,

*Indiarum orientis solis annalem historiam annorum
 M.DC.IV. & M. D.V. libris IV. quorum prior conti-
 net res Iaponicas, alter Chinicas, tertius Indicas,
 quartus Æthiopicas.*

FERDINANDVS RABELLVS, Ioannis Rabelli fra-
 ter, natione Lusitanus, patria ex oppido Prato, Dice-
 cesis Lamecensis, in domo Professorum Olyssipo-
 nensi se CHRISTO in Societate sacrauit xx. Maij,
 anno salutis M. D. LXII. ætatis xv. Aristotelicas di-
 sciplinas professus est. Theologicas in Academia
 Eborensi per multos annos feliciter explicauit; e-
 iusque Academiae Cancellarius, & Portuensis Col-
 legij Rector fuit. Scripsit,

De obligatione Iustitiæ & Charitatis.

FRANCISCVS ALBERTINVS, natione Italus, pa-
 tria Neapolitanus, volumen edidit hac ἐπιγραφή,

Corollarium Theologicum.

FRANCISCVS ANTONIVS, natione Lusitanus,
 patria Olyssiponenſis, xxiii. annos natus, Iuris
 ciuilibus scientia instructus (quam duobus annis in
 Academia Conimbricensi professus fuerat) atque
 aliis etiam ingenuis artibus expolitus, in Societa-
 tem se tradidit, anno salutis M. D. LVIII. Exinde ex
 Hispania in Sardiniam nauigauit, vt Sacerentis
 Societatis Collegij (quod omnium primum in ea
 insula est constitutum) iaceret fundamenta: quo in
 munere, atque in excolendo agro illo rudi ac senti-
 bus

bus obfeto, præclare fe gessit. Ex Sardinia in superiore Germaniam traiecit, vbi plurimos annos multum posuit operæ studiique in Catholica fide conseruanda tuendaque. Namque Maria Augusta sanctissima femina, nostræque Societatis amantissima, eo familiariter vfa est: à qua deinde ad Catholicum Regem Philippum germanum fratrem missus in Hispaniam rediit, & ipsi deinceps Mariæ (quæ etiam in Hispaniam venerat) vsque ad obitum, obsequium suum per alios viginti & amplius annos præstitit. Docuit in Societate Theologiam moralem duobus annis, fuitque Magister tironum. Sed quoniam superstes adhuc in Collegio Madritano est, nihil amplius de eo dicam. Scripsit hætenus Latine in *Edmundi Augery Catechismum* Commentarios, ex sacrae Scripturæ & sanctorum Patrum sententiis contextos, & ad refellendos Caluinistarum errores maximè appositos. Scripsit etiam Hispanicè *De Sacrosanctæ Missæ sacrificio* lib. IV.

De milite Christiano lib. II.

Conuertit præterea ex Latino in Hispanicum sermonem *Sixti Papæ sententias xxx. Dorothei, Nili, Isaia, Abbatum libros ad spiritualia documenta.*

FRANCISCVS ARIAS, natione Hispanus, patria Hispalensis, vir iam matura ætate sese ad nostram Societatem adiunxit: Philosophiæ ac Theologiæ studiis excultus, in Collegio nostro Triguorenfi Theologiam de moribus quattuor annos, non sine laude professus est, cuius Collegij & Gaditani item habenas rexit. Scripsit materna lingua, singulari ingenio, exquisita eruditione, eximia religione ac prudentia, librum

De Profectu spirituali, in quo de oratione, ac

mortificatione, vtilissima præcepta tradit. Item,

De Imitatione CHRISTI, Tom. III. in quibus diuinas CHRISTI Saluatoris nostri virtutes piè admodum doctèque explicat, & omnibus imitandas proponit.

Tractatum item *de fœditate ac gravitate peccati*. Qui Tractatus iam magno Ecclesiæ militantis bono trans Pyrenæos Latinè & Gallicè transcriptus legitur. Fuit vir cùm varia eruditione tum vitæ integritate admirandus; religiosæ paupertatis amans, obedientiæ tenax, salutis proximorum cupidus, sui contemptor egregius, mortificationis studiosus, quam magis moribus quàm verbis docuit; denique indefessus operarius CHRISTI, pro cuius gloria XLIV. annos strenuè in Societate nostra laborauit: atque ætatis anno LXXII. feliciter obdormiuit in Domino, Hispali XXI. Maij, anno salutis M. DC. V. non sine magna opinionè sanctitatis; concurrentibus ad eius funus populis, ac multis lacrymis beati viri memoriam prosequentibus, ac de eius vestibis certatim aliquid auferre conantibus.

FRANCISCVS BENCIVS, natione Italus, patria ab Aquapendente, egregius Poëta & Orator insignis, vt auditor antea M. Antonij Mureti, enutritus iuuenis in Societate. Eleganti vir ingenio, & humanioribus studiis, quasi quodam naturæ impetu editissimus. Edidit,

Annularum litterarũ de rebus Societatis Tom. IV.

Orationum ac Poëmatum Volumina duo.

Quinque Martyrum ex Societate IESV in India poëma. Atque hæc quidem exierunt in lucem. Sed manuscriptos reliquit præclaros in omnes ferè M. Tullij Ciceronis Orationes, & in eiusdem atque
Aristo.

Aristotelis Rhetoricam Commentarios.

Denique in Collegio Romano, vbi permultos annos artem dicendi feliciter docuerat, excessit è vita, anno salutis M. D. XCIV. ætatis LII.

FRANCISCVS BONALDVS, natione Gallus, scripsit Gallicè *Praxim spiritualem*, seu *Institutionem Christianam*.

Item in *Aue maris stella* libellum, cui titulus, *Stella mystica*, quem Latinum fecit Franc. Dulcken, Carthusianæ familiæ in Vbiis monachus.

* FRANCISCVS BONAVENTVRA, natione Hispanus, patria Segobiensis, adolescentulus ad nostros additus est, anno salutis M. D. LXVI. Vir fuit cum aliis litteris egregiè eruditus, tum maximè Theologicis quæstionibus, quæ ad mores referuntur; qui postquam studiorum suorum spatia decurrit, sacram Theologiam & Compostellæ & Salmanticæ professus est, atque Legionensis Collegij habenas moderatus: sed morbis conflictatus, & viribus exhaustus, dum cælum mutat, & temperatiorem regionem ac benigniorem quærit, ad imbecillam tuendam valetudinem, in Toletana nostra Professorum domo, breui nobis morte ereptus est xv. Ianuarij, anno salutis M. D. XCII. magna Societatis ac Reipub. iactura. Scripsit, sed non emisit,

In extrauagantem Gregorij XIIII. que incipit: Ascendente Domino, (in qua Pontifex institutum Societatis declarat, & denuò confirmat) pereruditam explicationem. Item,

Tractatus aliquot Moralium quæstionũ insignes.

FRANCISCVS BORGIA, natione Hispanus, patria Valentinus, sæculi nostri decus, & specimen sanctitatis, spreto Gandiæ Ducatu, & amplissimis honoribus,

ribus, opibus, deliciis, clientelis, ac familiae suae ornamentis, CHRISTI paupertate ditior, & ignominia honoratior, singulari DEI vocatione & impulsu in recens natae & nondum cognitae atque explicatae Societatis obsequium se tradidit, anno salutis M. D. XLVII. aetatis XXXVII. Cardinalitiam dignitatem, à Iulio III. Pontifice Maximo sibi oblatam, constantissime repudiavit. Eiusdem Societatis in Hispania Commissarius generalis fuit, Romae bis Vicarius, ac demum Praepositus ordine tertius Generalis; quod munus officij septem annos & tres menses sanctissime gessit. Sed cum ex longa & laboriosa, ad Hispaniarum, Lusitaniae, Galliarum Reges Legatione (qua iussu Pij Quinti Pontificis Maximi cum Cardinale Alexandrino functus fuerat) in Urbem, itineris laboribus confectus, aeger ac paene exanimis rediisset, pridie Kal. Octobris sanctissime excessit è vita, anno salutis M. D. LXXII. aetatis vero suae LXII. propemodum expleto. Scripsit Hispanicè, antequam saeculo nuncium remitteret, *Opuscula* quaedam valde utilia, ad formandos mores ac profectum spiritus pertinentia; quae typis excusa habentur in manibus, ex quibus haec sunt:

Sermo de verbis illis Lucae xix. Cum appropinquaret IESVS vidit civitatem, & fleuit super illam.

Tractatus cui nomen est, Operum Christiani speculum.

Collyrium spirituale.

De preparatione ad sacram Communionem.

Exercitatio spiritualis, ad sui cuiusque cognitionem.

Tractatus de Cantico trium Puerorum, quod incipit; Benedicite omnia opera Domini.

Reli-

Reliquit præterea in *Threnos Ieremie* præclaras lectiones, sed inexpolitas.

Meditationum item in *Euangelia*, quæ per annum Dominicis ac Festis diebus in Missa leguntur, Tomos I I.

Item *Tractatum peregrinum de ratione concionandi*. Hunc And. Schottus, cum eiusdem Borgiæ vita, Latinè reddidit; cetera Alphonsus Deza Theologus. Plura de clarissimo & laudatissimo Viro non addimus, quoniam eius Vitam quattuor libris comprehendimus.

FRANCISCVS COSTERIVS, natione Belga, patria Machliniensis, viuentē adhuc B. P. nostro I G N A T I O, anno M. D. LII. Romam venit adolescens, & in Collegio nostro Romano bonis artibus perpolitus est. Inde reuersus in patriam, Philosophiam Colonæ & Theologiam non sine laude docuit. Tum Præpositus Prouincialis Rheni & inferioris Germaniæ, Prouincias illas prudenter administravit; ac vitæ exemplo, magna doctrina, prælectionibus, concionibus, scriptis fidem Catholicam pro virili parte sustentavit, & multos à recta via aberrantes, ad portum salutis reduxit. De illius sinceritate, candore animi, modestia, pietate in DEVM, deuotione in beatissimam Virginem MARIAM, in proximos charitate, sui neglectu, aliorum æstimatione, & susceptis pro Religione Catholica laboribus, alij fortasse plura FRANCISCO mortuo prædicabunt, nos viuenti adhuc parcimus. Scripsit hæcenus Latinè quidem hæc,

Enchiridion Controuersiarum contra hereticos, sæpius auctum.

Item *Apologeticū* pro prima, secūda, & tertia parte

Con-

Controuersiarum, contra Franciscum Gommarum
Caluinianum.

Libellum Sodalitatis B. MARIE Virginis, qui ante
dictus : *Institutio ad pietatem Christianam*, ad
Congregationem B. Virginis Annunciatae.

*Meditationes quinquaginta in vitam B. MARIE
Virginis.*

*Meditationes item alias quinquaginta in Passio-
nem DOMINI.*

*Item in precationem Salve Regina, & Hymnum
Aue maris stella.*

*Responsonem ad Analyticam assertionem Andreae
Calliae Caluinistae contra Enchiridion Controuer-
siarum.*

Declarationem Fidei contra haereticos Hollados.

*Responsonem ad Lucae Osiandri stolidam Refu-
tationem octo Catholicarum propositionum.*

*Refutationes duas Responsonis P. P. Coci, ad
ipsius quinque Propositiones.*

*Conciones vberes in Dominicis anni & Festa. La-
tinè, & Belgicè: qua lingua etiam sequentia exierunt;
Catechismus breuior, & prolixior alter.*

*Demonstratio Catholica Religionis, cum breui Re-
sponsonem ad centum mendacia haereticorum antitheseon.*

*Apologia Catholica ad haereticum libellum Gasp.
Greuinchouij.*

Apologia secunda ad Greuinchouium.

*Apologia pro supradicta Demonstratione contra
haereticum libellum Gasparis Greuinchouij: cum
Epistola ad Ordines Hollandiae, ac Responsonem ad sen-
tentiam Senatus Leydensis contra Petrum Pan, qui
fingitur à Iesuitis inductus ad mortem Comiti
Mauricio inferendam.*

Tracta-

Tractatfa de Indulgentiis.

Aduersus Refponfionem Petri Cock.

Epiftola ad Greuinchouium.

Item contra Iacobum Molanum *Apologia duæ.*

Refutatio VIII. Oppositionum ignoti hæretici Calviniftæ.

Refponfo de feptem Apoftatis.

Scholia in ea Bibliorum loca, quæ ab hæreticis rapi in Controuerfiam folent, Belgicè meditantur.

FRANCISCVS GOMETIUS, natione Hispanus, patria ex oppido Fregenal; quod ad radices montium Marianorum firmum, Prouinciæ eft quam vulgò *Estremaduram* vocant. Hic postquam eximio ingenio, excellenti memoria, indefeffo studio Philosophicas atque Theologicas litteras feliciter didicit, & hortatu Ioannis Auilæ præstantiffimi sanctitate atque doctrina viri feliciter Cordubæ professus est, annos natus xxxv. sese nostris adiunxit, eodem Ioanne Auila auctore, anno salutis M. D. LIX. Post ingressum in Societatem, vix dici potest quantos in omni genere virtutis processus fecerit, quo spiritu ea inter se copulauerit, quæ maximè diuerfa videntur; insignem nimirum eruditionem, cum admirabili humilitate; singularem prudentiam, cum rara simplicitate; morum eximiam grauitatem, cū summa lenitate; studium orationis, cum operibus caritatis; sui denique per omnia contemptum, cum præclara existimatione, quam de illo omnes habebant, domestici, exteri, magni, parui, docti, indoctique. Multos annos nostro in collegio Cordubensi magna cum laude D. Thomam interpretatus est; ad illumque, tamquam ad oraculum, non solùm ex vniuersa Bætica, sed ex remotioribus etiam Prouinciis,

cuis,

ciis, quæstiones de moribus, & variarum ac difficultium rerum consultationes referebantur. Deniq; cum sanctitate atque eruditione floreret, maximaq; omnium admiratione, ac Rectoris munere fungeretur; immatura morte ereptus nobis est vir sapientissimus, in ipsis feriis D. Thomæ Apostoli XXI. Decembr. anno salutis M. D. LXXVI. ætatis LII. magno omnium mœrore ac luctu, prosequentibus eius funus Episcopo, clero, Inquisitoribus, Religiosis, Nobilitate, atque vniuersa Cordubensi ciuitate. Reliquit GOMETIVS multas lucubrationes, quæ lucem hætenus non aspexerunt, sed in Bibliotheca nostra Cordubensi asseruantur.

FRANCISCVS PLANTEDIVS, natione Italus, librū *Dionysij Carthusiani de quattuor nouissimis lingua vernacula loquentem* fecit.

FRANC. REMONDVS, natione Gallus, patria Diuionensis, in Italia studiis claruit, Societatiq; aggregatus, venusta pangit *Epigrammata*, quæ & lucem variis in locis aspexerunt. *Orationes* adhæc sacras vnà euulgauit. Cumq; Philosophiam Romæ, sacras verò litteras Patauij professus sit, P. N. Generalis auctoritate curriculum Philosophicum litteris consignandum suscepit. Parentem habuit & Iurisconsultum egregium, & Senatorem Regium Burdigalæ; qui sermone populari *de Antichristo*, deq; *fabula Papissæ Ioannæ*, ac denique *de hæresibus nostri sæculi* doctè in primis scripsit ac piè, cum ingenti legentium admiratione.

FRANCISCVS RIBERA, natione Hispanus, patria ex oppido Castellæ Villacastin, vir fuit egregiè doctus ac pius: primùm in Salmaticensi Academia optimis Præceptoribus operam dedit, in Collegium
deinde

deinde sancti Iacobi Zebedæi ab Alphonso Fonseca Archiepiscopo Toletano erectum cooptatus est; postremò atatis anno xxxiii. probè scientiis excultus ac Doctor Theologus in Societatem admisus est. Sed cùm eadem Societas sacrę Scripturę scholas Salmantice habere statuisset, Riberam tamquam idoneum Præceptorem, & Latinę, Græcę, atque Hebraicę linguę cognitione præstantē, ei muneri præfecit; quod quidem, exquisita eruditione cum pari religione coniuncta, permultos annos obiuit. Erat enim ingenio excellenti, iudicio acri, tenaci memoria, sanctorum Patrum lectione atque obseruatione instructus, singulari modestia, animi candore, deiectione, ceterisque religiosis virtutibus cumulatus. Scripsit insignes *in duodecim Prophetas Minores Cõmentarios*, sensum eorũdem Prophetarũ Historicũ & Moralem, sæpè etiam Allegoricum complectentes. quod opus in compendium redactum *Commentarios historicos selectos* inscribunt.

Commentarios item in sacram B. Joannis Apostoli & Euangelistę Apocalypsim.

In Epistolam item B. Pauli ad Hebręos.

De templo Salomonis, & his quę ad templum pertinent, lib. v.

Theresa Carmelitarum excalceatarum parentis & fundatricis vitam Hispanicè persecutus est. Obiit Salmantice, anno salutis M. D. xci. ætatis lvii.

FRANCISCVS RODRIGVEZ, natione Hispanus, librum *Hieronimi Plati De bono statu Religiosi* Hispanicè reddidit.

FRANCISCVS SCRIBANVS, natione Hispanus, patria Valentinus, cùm esset genere, ingenio, vitę integritate nobilis, & humanis Diuinisque litteris

E

probè

probè excultus, & in Academia Complutenſi Doctoris Theologi lauream, atque in patria Canonatum Valentinum cōſecutus, magna omnium admiratione anno ſalutis (ni fallor) M. D. LXXVII. omni ſæculi vanitate reiecta, ad CHRISTI vexillum conuolauit, vt in noſtræ Religionis paupertate inueniret, quod mundi diuitiæ præſtare non poſſunt. Viuit adhuc: itaq; nihil de illius virtutibus dicam. Rectoris Collegij noſtri Valentini munere functus eſt: Sacras litteras magna cum laude explanauit. Scripſit Hispanicè,

De quattuor Nouiſſimis Diſcuſſus (ſic enim vocantur) pietate, eruditione, breuitate, ac perſpicuitate eximios, & ad formandos diuini verbi declamatores appoſitos.

FRANC. SAVHINVS, natione Italus, edidit *Orationem funebrem*, in obitu Io. Franciſci Aldobrandini habitam.

FRANCISCVS SCVDERIVS, natione Hispanus, patria ex oppido de la Parra, Diœceſis Conchenſis. Vir fuit pietate & animarum zelo laudabilis, qui XXIII. annorum cùm eſſet, ingreſſus eſt Societatem, in qua magna cum religioſæ vitæ modeſtia atque ædificatione vixit, vſque ad ætatem LXVII. annorū, in qua piè mortuus eſt. Scripſit Hispanicè, *Vitam S. Iuliani Conchenſis Episcopi*.

FRANCISCVS SOLERIVS, natione Gallus, *Vitas P. Jacobi Laynez ſecundi, & P. Franciſci Borgia tertij*, Præpoſiti Generalis noſtræ Societatis, à P. Petro Ribadeneira Hispanicè conſcriptas, in Gallicum ſermonem tranſtulit, vt & libellū eiufdem *De Tribulatione*. Prætereà,

Franc. Aria de imitatione B. Maria. &

De

De Mortificatione. ac,

De Oratione mentali. item,

Martyrologium Romanum.

FRANCISCVS SVAREZ, natione Hispanus, patria Granatensis, prima ætate vix exacta, DEO se in Societate sacrauit; & per omnes disciplinarum humanarum atque diuinarum gradus ad culmen Sapientiæ ascendit. Philosophicas scientias publicè docuit, Theologicas Pinciæ, Romæ, Compluti, Salmanticæ doctissimè professus est, & nunc denique Conimbricæ proficetur, vbi primarię Theologiæ cathedrę magna cum laude præest. Atque his publicè legendi multorum annorum non contentus laboribus, animum ad ea scribenda transtulit, & in vulgus publicanda, quæ summo ingenio, acri iudicio, maximo studio, diuturna lectione, & accurata meditatione collegerat. Itaque multa in hunc usque diem scripsit, doctorum virorum iudicio eruditissima. Ex quibus hæc sunt,

In Metaphysica Aristotelis Tom. II.

Opusculorum Tom. I. in quo hæc tractantur:

De concursu, motione, & auxilio DEI, lib. III.

De scientia DEI futurorum contingentium lib. II.

De auxilio efficaci I.

De libertate diuina voluntatis.

De remissione meritorum.

De Iustitia DEI.

Commentariorum ac Disputationum in tertiam partem D. Thomæ priorum XXVI. questionum eius partis expositionem complectentium Tom. I.

Commentarior. ac Disput. in III. partem D. Thomæ secundus Tomus, Mysteria vitę CHRISTI, & vtriusque aduētus eius, accurata disputatione cōtinentiū.

Commentariorum in tertiam partem D. Thomæ, Tom. III. qui est De Sacramentis in genere, de Baptismo, de Confirmatione, de Eucharistia, ac de Sacrificio Missæ.

Commentariorum in tertiam partem D. Thomæ Tom. IV. qui continet ab LXXXIV. quæstione vsque ad finem, cum Disputatione de virtute Pœnitentiæ.

Adduntur deinde Disputationes de clambus, ac Sacramento Pœnitentiæ.

De Extrema vntione.

De Purgatorio.

De Suffragiis & Indulgentiis.

Disputationum de Censuris in communi, Excommunicatione, Suspensione & interdicto, item de Irregularitate, Tom V. additus ad tertiam partem D. Thomæ.

Item in primam partem D. Thomæ Commentarios adornauit.

Et quoniam modestissimus atque sapientissimus Pater in viuis adhuc est, nihil de illius virtutibus dicam.

FRANCISCVS TOLETVS, sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis, natione Hispanus, patria Cordubensis, vir fuit doctissimus, & cum aliis, tum verò Philosophicis ac Theologicis litteris ornatissimus. Hic postquam Philosophiæ Cathedram Salmanticiæ tenuit, & publicè Aristotelem est interpretatus, anno salutis M. D. LVI. I. sæculo nuncium remisit, & in Nouitiorum Societatis domum Simancam commigrauit, vbi probatus est, & ad normam nostræ Religionis formatus. Exinde Romam venit, & in Collegio nostro Romano per multos annos docuit: primùm quidem Artium cursum (vt vocant) siue Aristotelicam disciplinam; deinde D. Thomæ Theo-

Theo-

Theologiam; tum varias & multiplices, atque implexas de moribus quæstiones, magna sapientiæ opinione explicauit. Postremò à Pio v. Pontifice Maximo anno salutis M. D. LXIX. accersitus est, vt in Sacro Palatio Cõcionatoris munus obiret, quod tanta cum laude præstitit, vt per totos xxiv. annos apud Pium ipsum Quintum, Gregorium XIII. Sixtum Quintum, reliquosque succedentes Pontifices, in Apostolico Palatio, maximo Cardinalium, Prælatorum, Oratorum, & clarissimorum virorũ concursu, verba fecerit; & auditorum animos in admirationem adduxerit, non vlla verborum elegantia, sed sententiarum grauitate, reconditæ doctrinæ excellentia, ordinis dispositione, ingenij perspicuitate ac magnitudine. Quo etiam tempore Pænitentiaræ (sic enim vocant) siue casuum Conscientiæ Prætorij, & sanctę Inquisitionis Consiliarius fuit. In Poloniam, & in Germaniam, tum superiorẽ, tum inferiorẽ, missus à Sede Apostolica est, propter causas publicas Ecclesiasticas, quas feliciter transegit. Demum anno salutis M. D. XCII. magno mærore Societatis, extimescentis ne aliis hoc exemplo aliqua ad ambitionem fenestra aperiretur, à Clemente VIII. Pontifice Maximo in sacrum S. R. E. Cardinalium Collegium cooptatus, & ad summum gratiæ fastigium euectus, triennium tantummodò superuixit, & Romæ xiv. Septembris anno salutis M. D. XCVI. vita decessit. Scripsit Franciscus Toletus antequam esset Cardinalis,

Introductionem ad Logicam.

In Logicam Aristotelis.

In octo lib. Physicorum.

In lib. de Generatione & Corruptione.

E 3

In

In lib. de Anima.

In Euangelium D. Ioannis. Atque hæc quidem sui ingenij monumēta viuens edidit, & in omnium manibus sunt. Alios item reliquit Commentarios:

In Duodecim capita Euangely D. Luca.

In Epistolam ad Romanos.

Summam casuum conscientie. Quæ post eius obitum exierunt in lucem: quibus accesserunt eiusdem Cardinalis *Sermones xv. in Psalmum primum & trigessimum, & in duo Epistola ad Romanos loca Tractatus.* Reliquit præterea *Concionum Tomos aliquot, sed impolitos, & quibus extrema desit manus.*

FRANCISCVS TYRRIANVS, natione Hispanus, patria Legionensis. Vir omni disciplinarum genere excellens, Philosophus ac Theologus eximius, Græcæ linguæ peritia atque exquisitarum & reconditarum litterarum cognitione cum paucis cōferendus, curiosus Antiquitatis indagator, diligentissimus in bibliothecis latentium & cum tineis blattisque lutantium voluminum Sanctorum Patrum atque acerrimus inuestigator. Itaque celeberrimas totius Italiae & maximè insignes bibliothecas penè omnes peruolutauerat, excusserat, & quasi helluo librorum deuorarat, præcipuè verò Græcorum, & vulgò ignotorum auctorum. Cùm autem non vulgaris doctrinæ opinione floreret, ac plurimis editis libris sui admirationem commouisset, & suam in Concilio Tridentino, missus à summo Pontifice, cum reliquis Theologis sententiam dixisset, præcipitata ætate, ac senio penè confectus, ceruicem suavi Domini iugo Romæ subiecit, anno salutis M. D. L X V I. ipso Natalitio Domini ac Redemptoris nostri die; & veteranus iam atque emeritus miles, no-
uam

nam tiro militiam suscepit, & cum nouitiis nostræ Societatis CHRISTI vexillum sequi constituit: quod & fecit singulari humilitatis, modestiæ, atque obedientiæ exemplo. Scripsit antequam admissus esset in Societatem libros pereruditos; ex quibus sunt,

De Summi Pontificis supra Concilium auctoritate.

De actis Nicenæ Synodi, deque Canonibus, quæ eiusdem Synodi esse feruntur: & de Septima ac multiplici Octaua Synodo.

Dogmaticum de electione diuina.

Dogmaticum de iustificatione.

De residentia Pastorum.

De dogmaticis characteribus Verbi Dei lib. IV.

De commendatione perpetua administrationis Ecclesiarum vacantium, & de residentia Pastorum extra conuicia sua. Opuscula item varia:

De votis monasticis.

De inuiolabili Religione votorum Monasticorum.

De cœlibatu.

De Matrimoniis clandestinis.

Et hæc quidem ante ingressum in Societatem. Post ingressum verò scripsit,

De Hierarchicis ordinationibus Ministrorum Ecclesie Catholice, aduersus Schismaticas vocations Ministrorum & Superintendentium hæreticorum.

Aduersus Magdeburgenses Centuriatores, pro Canonibus Apostolorum, & pro Epistolis Decretalibus Pontificum Apostolicorum lib. V.

Aduersus capita disputationis Lipsicæ prioris posteriorisque Andrea Freyhubij de Ecclesia, & de ordinationibus veterum Ministrorum Ecclesie, lib. IV.

Apostolicarum Institutionum de Catholica doctrina Clementis Romani lib. VIII. adiunctis ad finem

xxcv. *Canonibus Apostolorum*, ipsomet FRANCISCO interprete, è Græco cum Scholiis & obseruationibus, ad cōfirmanda dogmata Orthodoxa contra hereticos; typis Plantinianis, & Græcè Venetiis cum Scholiis.

Canones Concilij Niceni LXXX. ex Arabico in Latinum conuersi & recogniti.

Sancti Diadochi Episcopi in vetere Epiro Illyrici Capita c. De perfectione spiritali in Latinum translata ab eodem TURRIANO.

Sancti Nili Capita c. l. de Oratione ad DEVM, eodem interprete.

Item Joannis Carpathij Cyparissiotæ Capita hortatoria.

Eiusdè TURRIANI Tractatus de sanctissima Eucharistia duo, contra Andream Volanum Polonum Caluini discipulum.

Apologeticus contra Boquinum Bituricensem sectæ Zwinglianæ, qui nomen Societatis IESV calumniabatur.

De Ecclesia Catholica & eius Pastore Episcopo Romano, aduersus nugatorias cauillationes Antonij Sadeellis, libri v. in quibus varij ac multiplices errores illius refutantur.

Epistola ad Episcopum Laodicensem de Reditibus Ecclesiasticis, & de ratione eis vtendi.

Epistola de definitione propria Peccati originalis, ex sancto Dionysio Arcopagita, & de Conceptione beatissimæ Mariæ Virginis.

Epistola contra Vbiqueistas & Arrianistas.

Responsio Apologetica pro domo Lauretana, ad Capita Petri Pauli Vergerij heretici.

Versio aliquot Græcorum Patrum è Græco in Lati-

Latinum, quos partim in Annales Ecclesiastes illustrissimus Baronius Cardin. partim in antiquas Lectiones Henricus Canisius V. C. retulit. Optandum itaque maximè, existere aliquem typographum diligentem, qui omnia TVRRIANI ordine in classes distributa Tomo vno & altero, bono Ecclesie simul euulgaret.

Denique cum ad extremam peruenisset ætatem, Romæ scribens, sanctè mortuus est, ipso beatissimæ Virginis Mariæ Præsentationis die: idq; non sine aliqua ipsius Virginis in FRANCISCVM TVRRIANVM beneuolentiæ significatione. Nam cum PIVS V. Pontifex Max. ex Breuiario festum *Præsentationis* tamquam minùs antiquum expunxisset, TVRRIANVS noster ex recondito illo suo Antiquitatis penu vetustissimos auctores & Græcos & Latinos deprompsit, eorumque testimoniis probauit Festum *Præsentationis* diem, veteribus atque sanctissimis Patribus & olim cognitum, & laudibus celebratum. Itaque exquisita eruditione, industria, diligentia, & maxima in B. Virginem deuotione perfecit, vt festus dies iam abolitus, in vsum denuò reuocaretur, atque Ecclesie Catholice restitueretur: quam eius pietatem sanctissima Virgo gratam habuit, & (vt par est credere) in ipsomet festo die, quem ipse tanto conatu defenderat, vt ad felicioram vitam commigraret, suis precibus impetrauit, anno salutis M. D. LXXXIV.

FRANCISCVS XAVIER, natione Hispanus, patria Nauarrus, vir planè Apostolicus, & sæculi nostri lumen. Adolescens studiorum gratia à parentibus Parisiensem in Academiam missus est, vbi Philosophicas & Theologicas disciplinas egregiè didi-

cit, Philosophicas etiam publicè professus est. Quo tēpore B. P. N. IGNATIO eiusdem cubiculi socio familiarissimè vsus, huius XAVERIVS virtutis & sanctimonie admiratione ita captus est, vt se illius potestati permitteret, & ad constituendā Societatem, Collegam adiungeret. Deinde exactis studiis, Gallia relicta, peragrata Italia, vbique perfectæ humilitatis, suiq; victorie impressis vestigiis, à PAVLO III. Pontifice Max. Ioannis III. Lusitaniæ Regis rogatu in orientis Solis Indiam ablegatus est: vbi incredibile est quos labores tulerit, quas molestias deuorarit, quot populos Euangelij luce perfuderit, quàm multos filios CHRISTO pepererit, quàm turbulentis tempestatibus iactatus, quantis miraculis & viuus & mortuus nobilitatus sit. Goënsi in ciuitate (quæ Regia & Lusitanici in Oriente caput Imperij est) Religionem Christianam, Collegio Societatis exædificato, stabiliuit. In Commorini ora cxi. Ecclesias constituit. Malacam & ad pietatem erudiuit, & precibus tutatus est. Malucas insulas perlustrauit. Truculentos Mori insulæ habitatores ac Barbaros mansuefecit. In Iaponem primus cælestis Doctrinæ lumen inuexit. Multos Reges idololatrias CHRISTI iugo subiecit. Denique in latissimi Chinesis Regni (quod CHRISTI armis expugnare parabat) aditu sanctissimè vitam profudit, secunda die mensis Decembris, anno salutis M. D. LII. ætatis LV. Porro submissio animi, DEI caritas, animarum zelus, magnanimitas, fortitudo, patientia, perpetuum orationis studium, vitæ asperitas, Euangelicæ paupertatis amor, ceteræque omnes virtutes tantæ tamque eximiæ in FRANCISCO enituerunt, vt oratione vix explicari, nedum ornari posse videantur. Pauca
nos

nos sanctissimi viri virtutum ornamenta in libro De vita B. P. nostri I G N A T I I breuiter perstrinximus, & Horatius Tursellinus è nostra Societate, sex libris editis Xauerij mores, vitam, obitum, miracula luculenter litterarum monumentis commendauit; idque postea præstitit Ioannes Lucena Lusitanus decem libris, materna lingua, è nostra item Societate. Scripsit FRANCISCVS *Quatuor libros Epistolarum* admirabiles, cælestem spirantes spiritum, & diuinæ prudentiæ refertissimos, qui ab eodem Horatio in Latinam linguam ex Hispana conuersi, in manibus sunt.

FRONTO DVCÆVS, natione Gallus, patria Burdigalensis, vir eruditus, Theologus, & totius Antiquitatis cognitione maximè nobilis. Scripsit,

Collectanea in Clementem Alexandrinum suppresso nomine. Item,

Sancti Antonij Abbatis Melissas, seu Sermonum, & Locorum communium libros duos, qui Tomo v. Bibliothecæ sanctorum Patrum habentur, ad Græcorum Doctorum fidem reuocauit, atque Annotationibus illustrauit: vt & *Maximi sententias* ibidem restituit.

Notas in prima capita D. frenæi.

Opuscula quinque D. Gregorij Nysseni, & xxx. Homilias D. Chrysostomi, è Græco in Latinum vertit. Et nunc *Opus Homiliarum omnium Chrysostomi* Græcè & Latine meditatur.

Duas item Gregorij I I. Pont. Max. Epistolas ad Leonem Isauricum. de quibus Cardinalis Baronius Tom. 9. Annalium Ecclesiast. honorificè mentionem faciens, *Accepimus,* inquit, *ipsas Græcè scriptas in Bibliotheca Cardinalis Lotharingia, inde depromptas,*

promptas, atque in lucem editas à viro insignis doctrinae ac pietatis Duceo Frontone Societatis IESV Professore, qui & easdem in Graecum translatas restituit Latinitati. Hæc ille.

Gallicè quoque exhibuit *Inuentarium*, vt vocat, eorum, quæ falsò de *Eucharistiæ Sacramento* citarat Plessius secta Calvinianus.

FVLVIVS ANDROTIVS, natione Italus, patria Picenus, cùm esset Ecclesiæ Camarinensis Canonicus Societatem nostram amplexus est, in qua duos alios germanos fratres habuit, Hortensium qui Tiburtini, & Curtium qui Patauini Collegij Rector fuit: ipse verò FVLVIVS Ferrariensis Collegij habenas per diu rexit, sanctèque in eo cessit è vita. Scripsit materna lingua *De frequenti communione.*

Meditationes peritiles de Passione Domini. Item, De Institutione Viduæ.

FVLVIVS CARDVLVS, natione Italus, patria Narniensis, in Collegio nostro Patauino humanioribus litteris cùm vacaret, nostrorum exemplo commotus adolescens viginti fermè annorum, se illis socium adiunxit, anno salutis M. D. XLVI. Deinde grauiores disciplinas didicit, Poëta & Orator clarus euasit, atque Romæ nostro in Collegio permultos annos artem dicendi & Poësim præclare docuit; & vergente in senium ætate, piè vita functus est. Reliquit, non tamen edidit,

Orationes multas in Cardinalium conuentu habitas, & Poëmata varia. Scripsit etiam,

Historiam de inuentione sanctorum Martyrum Abundij & Abundantij, ac de Translatione facta Romæ in ædem Farnesianam Societatis IESV. Item, Passionem sanctorum Martyrum, Getulij, Symphoro-

phorosa, ac septem filiorum: quam Notis & digressionibus illustravit, de *Tiburis* opidi antiquitate differens eruditè.

G.

GABRIEL VASQUEZ, natione Hispanus, patria Belmontanus, vir magni ingenij, assiduæ atq; exquisitæ lectionis, & in peruestigandis atq; eruedis sanctorum Patrum reconditis sententiis summæ diligentie. Hic adolescentulus cum esset, & xviii. tantum annos natus, Compluti se nostræ Societati addixit, & in Philosophicis atque Theologicis disciplinis diligenter exercuit. Sed cum ingenio atque eruditione præstaret, & in Collegiis Ocaniensi & Madritano primùm doctrinæ suæ rudimenta posuisset, postea in Collegiis nostris Complutensi & Romano sacram D. Thomæ Aquinatis Theologiam professus est, maxima auditorum admiratione ac fructu; in qua quidem præclara functione xxix. ampliùs annos contriuit. Complutensem Academiam prælectionibus, disputationibus, responsionibus, scriptis etiam illustravit. Scripsit enim,

De cultu Adorationis lib. iiii.

Disputationes duas contra errores Felicis & Elipandi de adoptione & seruitute CHRISTI, in Concilio Francfurdiensi damnatos.

Commentariorum in primam partem D. Thomæ Tom. duos.

Commetariorum in primam secundæ D. Thomæ Tom. vnum. Atq; hæc quidem ipso viuente in lucem edita sunt, sed cum secundum Tomum in primam secundæ D. Thomæ, & tres alios Commentario-
rum